Nobilissimo, praestantissimoq. viro
D. Constantino Hugenio
C. Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

undiq; dum querulae rumpunt arbusta cicadae,
etiam mihi interstrependum fuit. Hylas est, quem canimus, nulli non dictus puer. Et si quam maxime silere voluissem, non potui per amicorum et preces & imperia. Qui enim antehac ~~lib~~ ultro liberalis fui in depraedicandis Heroum virtutibus, velut debito quodam me obstrinxisse videor, idem in posterum factitandi. Nec tamen illibenter feci id, quod feci, et publicis votis adiunxi non invitus benevoli in patriam animi testificationem. Jam septimanae sunt quinq. et ultra, ex quo inter praelum & manus meas haesit hic libellus, maxime ob adversam valetudinem, et hypochondriacum πάθος, quo subinde vexor. Decreveram historica narratione prosequi res gestas obsidionis istius. Verum mutavi consilium gravibus de caussis: veritus ne idem mihi contingeret, quod Marsyae apud Ovidium. Satius itaq. putavi, si meo me modulo metirer, et intra septa carminum starem. Praemisi Panegyrici aliquid quod ex iis, quae historiae meae hic illic inspersum contexui. Sequitur Poëma, in quo praeter alia prolixitas mihi displicet. Nisi sufflaminassem furorem meum altera parte auctius prodiisset. Abrupi multa, in quibus luxuriari potuisset vatis ingenium. Utinam ab A. T. impetrare possem, ut Principi Auriaco exemplar a me offerre dignetur. Ego hoc in maximis tuis erga me meritis reponam. Nulli inscribere praeter morem videbatur. Alteri, praeterquam Principi, nefas, utpote cuius ἴδιον πρᾶγμα fuit urbis istius expugnatio. Jam Musas omnes, Apollinem, Minervam cum toto Helicone valere jubeo. Furori bellico finem si non imponet Sylvaducis, imponet saltem furori meo; et si non desinant Martem lacessere Batavi, ego posthac desinam Phoebo gravis esse. Ultima Apollineae fuerit mihi Sylva laboris
Meta.

Exemplar Principi dicatum ex veste cognosces. A. tuae ex inscriptione. Addidi exemplar ad praesidem Cromhoutium, Honerdum et Schottum Consiliarios, uti etiam D. Catsium. In iis deferendis quaeso famuli tui operam mihi commoda. Vale amplissime, doctissime, humanissimeq. Hugeni, et de studiis meis, quod fecisti hactenus, benigne iudica. Raptim e Museo nostro Lugd. Bat. XII Novemb. CIↃIↃCXXIX.

[signature]

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474

Edele, Erentfeste, Heer
mijn Heer
Constantinus Huygens
Ridder, Secretaris van
sijn Ex.tie woonende
in de Noortstraet bij 't Hoff

Onder 't packetje

Hage

port
14. 8br / 29.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474